



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 16. Quinque Episcopi restituuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

## §. XVI.

Sæculum V.  
A.C. 451.

## Quinque Episcopi restituuntur.

Postquam omnes centum, & sexaginta

Episcopi sententiam dixissent, Magistratus rogarunt, ut, si omnes ceteri Episcopi, qui speciatim suam mentem non aperuissent, eadem sentirent, id viva voce testarentur. Tunc omnes Episcopi exclamarunt: *omnes consensimus! omnes idem sentimus, omnes idem credimus!* Reddite Patres Concilio! Catholici sunt! subscripserunt! in annos plurimos vivant Imperatores! vivat Imperatrix! quinque Episcopi Fidei subscripserunt, idem cum Leone sentiunt! Quinque illi Episcopi, quorum redditum ardenter optabant, erant Juvenalis Jerosolymitanus, Thalassius Cæsariensis, Eusebius Ancyranus, Bafilius Seleuciensis, & Eustathius Beritensis, qui cum Dioscoro in Conciliabulo Ephesino præfuerant, & in prima Sessione Calcedonensi Depositione digni proclamati.

Ad hos Episcoporum clamores Magistratus dixerunt: *Rem istam ad Imperatorem detulimus, & responsum expectamus. Ceterum, Deo rationem de eo redetis, quod Imperatore, nobisque ignaris, Dioscorum deposueritis, illos quinque, quos modo reddi vobis petitis, excluseritis, & de his omnibus, quæ in Concilio egistis.*

p. 507.

**Sæculum V. stis.** Omnes exclamarunt: *Deus depo-*  
**A. C. 451.** *suit Dioscorum! æquum fuit, deponi Dio-*  
*corum! JESUS Christus depositus Dio-*  
*rum!* Per aliquot horas expectatum, do-  
 nec redirent, qui Imperatoris responsum  
 afferrent. Tum Magistratus dixerunt:  
*Imperator Noster Piissimus ea, quæ ad*  
*causam Episcoporum, Juvenalis, Thalassii,*  
*Eusebii, Basili, & Eustathii pertinent,*  
*Vestro Judicio relinquunt; ergo, quid agen-*  
**p. 510.** *dum, mature perpendite; de his enim ra-*  
*tionem a vobis exposcit Deus.* Anatolius  
 dixit: *petimus, ut ad nos ingrediantur!*  
 Omnes Episcopi exclamarunt: *rogamus,*  
*ut intrent! reddite Concilio illos, qui ea-*  
*dem nobiscum sentiunt, qui Leonis Episo-*  
*læ subscripserunt.* Magistratus dixerunt:  
*intrent!* His igitur quinque Episcopis  
 intrantibus, & consentientibus, alii omnes  
 exclamabant: *Dei hoc opus est! plurimos*  
*annos Imperatori! diutissime vivant Pro-*  
*ceres! Senatus vivat! redit concordia!*  
*Ecclesiarum Pacem tenemus!*

### §. XVII.

*Quid Aegyptii objecerint.*

Quosdam Episcopos Aegyptios deinde  
 intrare Magistratus jusserunt, qui  
 Libellum supplicem Imperatori obtule-  
 rint. Tredecim ii erant, & omnibus  
 consentientibus assederunt. Libellus  
 eorum, omnium Episcoporum Aegypti  
 nomine